



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**REPERTO||RIVM LIBRORVM TRI||VM IOANNIS BOEMI DE
OM||NIVM GENTIVM RITIBVS,||**

Boehme, Johann

Augustæ Vindelicorum, 1520

VD16 VD16 B 6316

De Gallia, Gallorumq[ue] veteribus & recentibus moribus. Caput
Vicesimumtercium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98144)

De omnium gentium ritibus.

Cimbri ad mares cupidiores. Impudentia Cimbrorum admiranda.

eum hominibus interfecta, aut supra ingentem pyram posita comburebant aut alijs adficiebant pœnis. Et quamuis Cimbri mulieres habeant speciosas ad mares tamen præter modum sunt cupidiores. In ferarum pellibus humi dormientes ex utroque latere excubatores habent. In ipsis certaminibus extensas ad carrorum velamina pelles tantis pulsant ictibus, ut ingenti cum horrore fragor efficiatur. Sed illa admiranda eorum impudentia, quæ speciem corporis facile alijs offerunt in propatulo, neque hoc turpe ducunt, quin potius ignauium abnuere gratiam oblatam. Fertur a Valerio maximo Cimbrorum & Celtiberorum in acie gaudio exultare consueuisse tanquam gloriose & foeliciter vitam essent excessuri. Lamentari vero in morbo quasi turpiter perituri.

De Gallia, Gallorumque veteribus & recentibus moribus. Caput Vicesimum tertium.

GALLIA lata Europæ regio inter Gallicum internum mare, oceanumque Britannicum, Rhenum Alpes & montes Pyreneos iacens, Pyreneis iugis ad occasum includitur: ad septentrionem & Boream Gallico, Britannicoque oceano: ad orientem solem Rhenus illi paribus pene spacijs ex alpibus in oceanum, quibus Pyreneum iugum ex interno mari ad externum procurrit, qua meridiem spectat Narbonense illi prætenditur pelagus Gallia appellata a candore populi, Gala enim lac dicitur. Triplex est, Tonsa siue togata, quæ & Cisalpina dicitur, sed Italiæ finibus includitur. Comata cognominatur omnis Transalpina Gallia, eam in tres prouincias, a tribus populorum generibus hystorici diuiserunt, Belgicam videlicet Celticam & Aquitanicam terminos illarum ita statuentes ut a Scalde ad Sequanam Belgica sit dicta, mox Celtica ab eo ad Carundam quæ eadem est & Lugdunensis inde ad Pyrenæi excursum Aquitanica olim Aremonica vocata. Augustus quadridariam diuisit addita Lugdunensi prouincia. Amianus in multiugas prouincias diuidit, utpote, qui primam & secundam Lugdunensem, & primam & secundam Aquitanicam faciat, Braccata, quæ & Narbonensis dicitur, hæc est, quæ Rheno adiacet, & pro maiori parte lingua Teutonica utitur, a braccis vestium genere sic vocitata. Multas prouincias habet Helueticam siue Alsatiam, Lotharingiam, Lucelburgam, Burgundiam, Brabantiam, Gelriam, Hollandiam, Selandiam, quæ omnes nisi Rhenus antiquus terrarum limes abscederet Germaniæ nostræ potius annumerandæ essent, ex quo hodie & consequenter etiam non montes, non flumina pro regionum terminis habentur, sed singulæ linguæ & imperia. Eousque vnamquamque regionem extendi dicant, quousque gentis illius sermo versatur. Galliæ populos Græci communi appellatione olim ab eorum Regis nomine Celtas dixere, & ab illius matris nomine Galatas. Franci hodie vocantur, & Gallia Francia, a Francis Germaniæ populis, a quibus olim fere tota subacta est, ut Baptista Mantuanus in Dionysio suo: & M. Antonius Sabellicus libro. iij. x. enneadis habent. Cæsar dictator omnis Gallicas gentes lingua, legibus & institutis inter se differre dixit.

multa tamen multis cōmunia esse, vt factiones exercere, quę non solum in
 ciuitatibus & pagis, sed in lingulis pene familijs vulgo reperiant, vt qui in
 genio & opibus polleant, inter se de principatu contendant, vt cuncta suo po
 tius q̄ alterius arbitrio fiant, quod vt gentile, ita vetus esse, nec temere insti
 tutum videri, vt tuta plæbs esset a potentiorę iniuria, nusq̄ gentium plæbs
 alioqui contemptior: quippe quę olim seruitij pene loco haberetur, omnis
 publici consilij expers, plæriscq̄ tributorę, aut alieni æris magnitudine graua
 ti, vulgo soliti se nobilioribus addicere, vt a cæterorę iniuria tutiores essent,
 omnia in eos iura, vt in seruos, habituris. Duo hominum genera in præcipuo
 honore esse, Equites & Druides, aliq̄ Bardos & Vacies Druidibus adijciunt
 quorum hi naturalium rerum causis dediti essent inuestigandis, illi lauda
 tionibus & poeticis rebus. Cæsar vno nomine omnes Druidas vocat, hi sa
 crificia curare publica & priuata, religiones interpretari, Adolescentes disci
 plinis instituire, quorum coetibus præcipue venerari: iisdem de cædibus, de
 finibus, cæterisq̄ controuersijs cognoscere, poenas constituere: si quis siue
 publicam siue priuatam personam gerens decreto non stetisset, sacrificijs in
 terdicere, quę præcipua fuit ingente animaduersio. Druides omnem homi
 num congressum & sermonem declinare, ne contagione polluerentur, his pe
 tentibus neq̄ ius dici cuiq̄ potuit, neq̄ honos vllus publicus communicari,
 vnus omnibus præesse, cui in vniuersum ordinem summa erat potestas. In
 huius defuncti velut anūstitis locum alius suffragio surrogabatur, cogebat
 horum concilium cërto anni tempore in Carnutum finibus. Est is locus Gal
 liarum fere medius, controuersiasq̄ ex vniuersa gente eo delatas suo com
 ponebant decreto, vulgo postea receptum: id institutum, sed ex Britannia
 translaticium, Parlamentumq̄ vocatum, de quo postea. Druides a bellicis
 rebus aberant, neq̄ ad tributum cogebantur. Multa milia versuum ediscere
 necesse erat, qui talise disciplinæ tradidisset, vt plæriscq̄ viginti annos in eā
 comparanda morarentur: neq̄ fas erat quippiam ad eam cognitionem perti
 nens literis cōmendare, quod ad memorię cultum, & scientię auctoritatem
 putaretur pertinere. Cæteris Gallis tempestate ea Græcę literę in vsu futere.
 Credere Druides animas non interire, sed in alia transire corpora, atq̄ metu
 mortis ita sublato audaciores in periculis fieri. Multa de syderibus disputa
 bant, de mundi & terrarum magnitudine, de rerum natura, & deorum pote
 state. Mundum ipsum æternum, ignem & aquam vicissim præualere. Alte
 rum genus equites, hi cæterorę ordinum religiosissimi, verum graui morbo
 affecti aut in periculis constituti, pro salute humanam hostiam mactabant
 Druidę ministerio adiuti, Alij simulachra habebant immani magnitudine,
 viminibus contexta, eaq̄ viuus corporibus plena circumiecto igni absume
 bantur, supplicia eorū qui latrocinij alteriusue noxę conuicti essent dijs gra
 tissima arbitrari. Mercurius in præcipua veneratione esse, quem omnium ar
 tium iuentorem prædicabant. Viarum & itinerum ducem, & ad questum
 faciendum plurimum prodesse. Marti in pugnam ituri quicquid ccepis
 sent pro victoria vouebant, visabanturq̄ ob eam rem in plæriscq̄ Gallię vrbi

Factiones a
mabat galli

Despectissi
mi genium
oim Gallia
runt;

Druidũ offi
cia & digni
tates

Druidũ anti
stes

Concilij an
num in car
norum fini
bus

Parlamentũ

Druidũ disci
plina

Opiniones
Druidũ va
ria

Alterę Gal
lorę genus e
quites

Mercurius in
veneratione
Gallis erat

De omnium gentium ritibus.

bus ingentes tumuli, bellicis spolijs constructi. Si quis ex præda aliquid fraudasset graui supplicio id scelus vindicabant. Se ex Dite procreatos persuasum habuere, ob idq; initium festorum dierum ab ea nocte capere, quæ festam lucem præcessisset, rati noctem illi sacram esse. Liberos ad conspectum suum non prius venire patiebantur, q̄ per ætatem adoleuissent, vt militaria iam obire munia possent. Turpissimum arbitantes filium adhuc puerum patri assistere. Viri quantas ab vxore pecunias dotis nomine accepissent, tantundem domesticarum fortunarum æqua æstimatione cum dote conferre: quicquid inde fructuum perciperetur id diligenter afferuari, eiusq; esse, qui superstes alteri fuisset. Viri in vxores, sicut in liberos, vitæ & necis potestatem habuere. Si qua veneficij conuicta esset, a propinquis mariti igne sæuisq; cruciatibus necari. In funere omnia, quæ viuus charissima fuissent cremare cum defunctis, animalia etiam ipsa, nec multum anteq̄ C. Cæsar eam terram debellasset, clientes & seruitia funebri rogo inferebantur. In ciuitatibus quæ optime institutæ erant primores multi gubernabant: ducem vnum primis temporibus ad annum eligentes, sicut & in bello vnus a multitudine designabatur Imperator. Si quis de republica aliquid a finitimis fama compertum haberet, id ad Magistratus deferbat, quædam suo arbitrio occultare, cætera pro concione palam facere. De republica nisi in publicis loqui nemini licebat. Qui in concilium vltimus veniebat necabatur. Qui tumultuabatur, ad eum minister stricto occurrebat ense, & minitabundus silentium imperabat, qui si non desierat, secundo ac tercio ididem factitabat, deniq; tantum illi abscindebat e sagulo, vt quod residuum esset, redderetur inutile. Magistratus aurea sunt gestamina, collo torques, manibus & lacertis armillæ. Vulgus sagis vestitur, scissoq; pro tunica amictu, qui vix nares integeret dimidias, lana quidem aspera, cæterum oblongis villis, vnde & sagula hirsuta texunt, quæ senæ vocantur. Comas studio nutriebant, corpora genti proceriora, & vulgo candida, & scdm ea armatura æqualis. gladius longus a dextero latere dependens, clypeus etiam longus, hastæ ad proportionem. & Meris pelæ genus est: arcubus pleriq; vtuntur, cum telo certiore infligunt ictum, quo in aucupijs potissimum vtuntur, paucissimi bellum fundis & fuste in eunt. Humi cubant coenitantes in strameptis assident: plurima cum lacte illis esca: carnisq; multifariam præsertim suillis & recentibus & salitis. Sues in agris nutriuntur, & proceritate robore & celeritate præstantes adeo, vt insueto cuiuspiam accedenti non minus q̄ a lupis periculum immineat. Tam copiosissimis & ouium & porcorum greges sunt, vt hinc saginarum & sallamentorum abundantia, non solum Romæ, sed & pluribus Italiæ partibus suppeditetur. Domicilia ex pluteis & cratibus in testudinis speciem faciebant: & quidem permagna multis impositis lacunaribus. Ferox omnibus ingenium, ingenita simplicitas, plus virium q̄ consilij in bella afferunt. maius bellorum q̄ agrorum studium. Mira foeminarum foecunditas vt ter centum & amplius armatorum milia gens vna Belgica ad bellum olim mitteret: victoria supra, q̄ dici possit, vinctibus læta, victis stupor. E plio decedentes ceruicibus equorum

Galli ex Dite
te se natos
dixere

Viris ius in
vxores & li
beros

Ciuitatū ad
ministratio.
Aristocratia

Att. morem

In concilio
tumultuans.

Vestitus gal
lorum

Lena vestis
Comæ
Arma belli
ca Gallorū

Alimenta

Ouiū & por
corū diuites
Galli
Domicilia
Gallorum

Foeminarū
Gallorū mī
ra foecunditas

CHRONICA
EXCERPTA
Q. CYRUS
I. DIOGENES

Gy
um
an

Au

hostium capita suspendunt eaq; domum delata, vt sint spectaculo postibus affigunt. Illustrium viroz capita cedrinis condientes odoribus peregrinis ostentant, nec tantidem auri redimi dignabantur Gentile & vetus aureos torques ex collo suspendere, manibus & laertis armillas inducere, vestes auro pictas gestare. Hominem diuinationi destinatum in tergo ferientes ex ipso impatientiae afflictiq; modo vaticinium capiebāt, Traduntur, & alia humanorum sacrificiorum genera, quosdam sagittis configebant, & intra sacras aedes patibulo suffigebant, magnamq; e feno chorto statuam apparantes, eiq; lignū iniectantes pecoraq; & varias immittentes beluas atq; homines holocaustum faciebāt, Erant galli ex assiduo labore & exercitio fere omnes olim macilenti corpore ventresq; minime propendebant, nā saginam a deo deuitabant, vt adolecentes, qui zonae mensuram ventre excederent publice multarentur, Ceterum, Romanorū cōmercio multa mutari contigit, tempus inde omnia in melius vertit. Obseruatissimi itaq; hodie vere pietatis sunt regis imperium late omnia tenet, Matrimonia, Italico ritu celebrant, liberales artes multis curae existunt, & in primis diuinarum artium studia Gymnasium, quod Parisius est, id demonstrat, omnium quae hodie sunt in terris celeberrimum, Sunt & Rhomanarum literarū appetentissimi, ac latinarum aemuli, in eo studiorum genere, nec graeca aspernantur, Penes magistratus iudicia sunt, regum est hos legere. In bellis cataphratto equite vtuntur, pediteq; leuiter armato, vtuntur & sagittarijs, qui longiores in tendunt arcus, nec cornos, vt Scythae & totus fere oriens, sed ex Taxo, aliaue duriore materia, committantur bellica tormenta exercitum, curribus vehuntur, magis ordine q; agminibus dimicant, maiore ferocia q; arte, quaeq; hanc quoq; in administrando bello haud negligant, Atallos vocant caduceatores, hi belli pacisq; nuntij cōlunt regem incredibili affectu, multa religio in templis, in religione sanctitas sacrorum antistitum maiestas, in clero dignitas & veneratio multa, frequens in caerimonia castus, & ob eam rem Musicae studium his propemodum peculiare, in vestitu & calceatu, vel nostra memoria variatum, me puero (inquit sabellicus) gallicae gentis aulici omnes citra clerum amiciebantur manicato sagulo, vix dimidias nates tegente, in multas scutulas ab imo ad summū cōplicato puluinaroq; circa humeros, Calcei anteriore parte in tenue cornu p̄tenti semipedalis longitudinis, qualis nunc species visitur in gentilibus auleis, tegmen capitis, id Biretum dicūt, oblongum, ac veluti in conum exiens At nunc omnia mutata, Calcei a fronte vehementer expansi in modum vrsini pedis, retro castigator forma, ac vix calcaei capax, laxior vestitus ac multo demissior q; antea: ad media fere crura descendens, laxis manicis ab vna parte defectis, tenijs versicoloribus tectis & ex obliquo cancellatim sago affutis, Laxus pileus ac plurimum puniceo coloris, sed Biretum multo laxius, male capiti coherens, vt nihil sit alioqui ipsa gente cultius, coepit his paucis annis nostrorum hominum animos incredibile studium eius cultus imitandi, atq; ad eō mōs inualuit, vt tota fere Italia Gallico spectetur habitu, manife-

His fū capi
ta postib; af
figuntur.
Mcnilia ge
stant Galli

Varia huma
norū sacrifi
ciorū genera
Gallis in vsu

Galli olim
oēs macilēti

Recētes gal
lorū mores

Artibus libe
ralibus fran
ci student.

Iudicia p̄
nes mgratus

Bellica gal
lorū virtus

Caduceatō
res Atalli
Francorū re
ligio.

Musicae stu
dium Gallis
peculiare.
Vestit; fran
corum.

calcei rosēra
ti olim i vsu
Biretū capi
tis regumen
rum.
Calcei obtu
si nūc in vsu.

Pileus laxus
rubicundus.

Italia in gal
lico habitu
delectata.

De oim gentiū ritibus.

Ita prælagio eorum quæ postea secuta sunt. Mulieris habitus nihil fere mutatus. Et Galliam Baptista Mantuanus in Dionysio suo libro secundo metricè sic describit.

Gallia terreni pars est non infæna mundi,
Sed longe lateq; patens, Hispanica tangit
Oppida ab occasu, sese coniungit ab ortu
Italia, nostro hinc pelago qua respicit austrum,
Clauditur Oceano, geminas qua respicit vrsas,
Vnde venit Boreas hybernacq; frigora surgunt,
Et vada Theutonici tangit vastissima Rheni,
Terra hominum, frugumq; ferax, armenta, gregesq;
Vberibus pascens gæbis, non languida cælo
Tabifico, non mortiferis infesta venenis,
Ut Libya, non perpetuis adoperta priuinis,
Sicut hype borei montes, non torrida ab æstu,
Qui faciat steriles, ut decolor India, campos.
Non etiam nocens pallens semestribus umbris,
Quale sub arcturo positum mare, & vltima Thile,
Sed nec ut Ægyptus, qua fusa palustribus vndis,
Sed cælo & teneræ fecunda vligine terræ.

¶ Et Paulo post

Ignea mens Callis & lactea corpora; nomen
A candore datum populis: muliebria pingit
Ora color tyrius: Paphium meditata decorem
Ex geminis fœcit, natura coloribus vnum:
Læti, alacres, lusu choreis & carmine gaudent:
In venerem proni, proni in consuetudine: proni
Ante dapes ad sacra deum: seruire iugumq;
Ferre negant: fugiunt figmenta & hypocrisin: ore
Liberi: ut ingenuis mos est: tetricosq; perosi:
Venatu, aucupio, campos, montana, lacusq;
Solicitant: bellandi vlu lætantur: equorum
Terga fatigantes: lorice hæstilia & arcus
Delicię genti: sub dio ad sidera somnum
Carpere: fuscari sole & ferrugine pulchrum est
Pulvere conspergi: grauibus sudare sub armis:
Propatria, pro cognatis, pro regibus ire
In pugnam & gladios & morti occumbere dulce est
Ægoceros genti dominans: si credimus astris
Si damus hoc cælo arbitrium: cito mobile pectus
Corda q; largitus rerum sitibunda nouarum.

Non inconueniens alienumq; ab instituto videtur huc præcipuū regię Fran

Quatuor gal
licæ confinia.

Laus Gallię

Gentis color

Mores gētis

Ægoceros. i.
capricornus
Francis do-
minat

corum ornamentum Parliamentum ponere, quis illud a principio instituerit, aut vnde originem habeat, & scriptoribus aliud non traditur: quod vt supra significauit a Druidibus receptum, aut longo tempore ad nostram vsq; ætatem obseruatum credere est. Nam & illud, quemadmodum Druidum conciliū, Carnuto quotannis tempore & loco, quem Rex designasset habebatur, hoc modo, Conueniebant ex cunctis prouincię ciuitatibus viri consuetudinū & iudiciorum periti, ad idq; antea munus delecti, qui ius cuiq; per prouocationem disceptanti dicerent. Sed quia vaga esset incertaq; institutio, decreta Parilius curia & sedes est: suntq; ad eam iudices designati qui ibi consistentes perpetui prouocationum definitores essent: Illorū octoginta numero sunt: annua stipendia ex fisco regio percipiunt. In curias quatuor diuisi sunt: seorsumq; singuli sedent, & suos præsidentes habent. In prima, quam ipsi Cameram vocant, præsidentes quatuor sedent Consiliarij triginta: hi contentiones & causas audiunt: dilationes & que ad iuris cognitionem attinent constituunt: leuiores quædam & temporanea definiens. In secunda vero & tertia cameris æquati sedent tam in hac q̄ in illa. xvij. Hi Enquestarum, i. inquisitionum consiliarij dicuntur, q̄ inquisitionibus præsint: ex Clero & laicis constituti: præsidentes vtriq; quatuor habent, sententias dicunt: quas constitutis diebus præsidentium vnus primę curię pronunciat: idq; Arrestum, i. ratum & fixum vocant: q̄ ab eo prouocari nemini liceat: qui ibi reus iudicatus fuerit. lx. librarum Thuronensium precium persoluere curijs debet, & quandoq; magis: nam si causam suam non satis intellectam aut discussam existimaret: & ob hoc sibi iniuriam factam: reuoluendę in iudicium causę suę ipse potestatem habet: verum non prius auditur, q̄ duplicatam dictæ pecuniæ summam deposuerit. Quarta curia eorum est: quos Requestarum, i. supplicationum & palatij magistrōs appellant: ab illis eorū causa tantum agitur qui regijs obsequijs deputati sunt, aut privilegio donati: nre ab alijs curijs infestentur: huius curię iudices sex tantum sunt: & ab eis prouocare ad Parliamentum licet. In decidendis causis cum nodus aliquis, hoc est, magna difficultas offertur hæc omnium curiarum consiliarijs congregatis discutitur: qd etiam fit In his que Rex de republica statuit: huius enim senatus decreto omnia eduntur. Habet & Parliamentum coniudices: dum adsunt Francię pares, & alij supplicationum magistrī familiares regis comites, qui post primę curię præsides primi sedent. Illis enim cum Francię paribus regalium & parium causę diffiniendę cōmittuntur. Sunt autem Francię pares ex omni nobilitate duodecim selecti, Remensis, Laudunensis, Lingonensis: Episcopi: Duces: Bellouacensis, Nouionensis, Catalaunensis Episcopi. Comites vocati: Ex sæcularibus etiam sex, Burgundus, Normandus, Aquitanicus: principes: duces: Flandrensis, Tholosanus, & Campanus: principes Comites. Illos duodecim, vt refert Rhobertus, Carolus magnus primum instituit: & secum in militiam ductos pares appellauit: quia equali inter se dignitate regi astarent: nec cuiusq; q̄ senatus Parliamenti iudicio obtemperarent, coronandocq; regi

Parlamenti initium

Druidū conciliū.

Curia parlamenti Parisi us decreta.

LXXX p parlamenti iudices

Curie parlamenti. 4.

Prime curie iudices

Secunde & tertię camerarū iudices.

Quarta parlamenti curia requestarū.

Iudicū quartę curie numerus

Coniudices requestarū

Francię pares. xij. numero

Parium Francię dignitas

N in

De omnium gentium ritibus.

adessent. Et hi fuerunt & sunt hodie Gallorum siue Francorum mores, talesque eorum decantati ritus.

De Hispania & moribus Hispanorum: Caput Vicesimumquartum.

Hispania maxima Europae regio, inter Africam & Galliam iacens, oceani freto & Pyreneis montibus clauditur, terris optimis comparanda: nullis posthabenda frugum copia, siue soli ubertatem, siue vinearum prouentus respicere, siue arboratos velis, omni materia affluit: quaecumque aut precio cara esse possit, aut vniuersa necessaria, adeo, ut non ipsis incolis tantum, verum etiam Italiae urbibus Rhomae cunctarum rerum abundantiam sufficiat. Argentum, gemmas, & aurum, si requiras, habet: ferrarius nunquam deficit nec cedit vitibus: vincit oleis: nihil ociosum in ea, nihil sterile, non coquunt ibi sales, sed effodiunt. Non violento sole torretur, ut Africa, neque assiduis ventis, ut Gallia fatigatur: salubritas caeli per omnem regionem aequalis, nulla paludum graui nebula inficitur, sed marina aura perflatur: lini spartique in ea vis ingens: minime certe nulla feracior terra. Cursus amnium non torrentes, rapidique, ut noceant, sed lenes & vineis campisque irrigui aestuariisque oceani affatim pisciosi. In nulla tamen re magis olim commendata est, quam equorum pernicitate, quos ibi a vento concipi memorie proditum est. A montibus Pyreneis incipit, & per columnas Herculis circuiens usque in Borealem oceanum protenditur, ita ut omnia in eo circuitu ad Hispaniam spectent. decem millibus stadiis, ut Apianus scribit, eius latitudo commensuratur: longitudo prorsus eadem esse videtur, ab vna tantum parte scilicet Pyrenei montis dorso Galliae adhæret, a reliquis omnibus mari cingitur. Tribus distincta nominibus est: nam pars Tarraconensis dicitur, pars Beticæ & pars Lusitania: Tarraconensis in qua ciuitates clarissimae Pallantia, Numantia, quae hodie Caesar Augusta dicitur fuisse: altero capite Gallias, altero Beticam Lusitaniamque contingens, mari latera obijcit, mediterraneo, qua meridiem, qua septentrionem spectat oceano, Alias vero duas fluuius Anas separat, ita quod Beticæ in qua ut bes clarae Ispalis & Corduba fuisse maria utraque prospiciat: ad occidentem Atlanticum: ad meridiem Mediterraneum. Lusitania oceano tantummodo obiecta est, latere ad septentriones, fronte ad occasum versa: in ea ciuitas Emerita quondam clarissima fuit. Hæc regio primo Iberia ab Ibero fluuio, postea ab Hespero Atlantis fratre Hesperia dicta est, ultimo ab Hispali quae hodie Sebilis vocatur Hispania. Corpus hominum ad inedia laboremque, animi ad mortem parati, dura omnibus & stricta parsimonia, bellum quam otium malunt, si extraneus deest, domi hostem quaerunt. Saepe tormentis pro silentio rerum creditarum immortui, adeo illis fortior taciturnitatis cura, quam vitam, velocitas genti pernix: inquietus animus plurimis, militares æqui & arma sanguine ipsorum chariora. Nullus nisi festis diebus epularum apparatus, aqua calida lauari post se

Hispaniæ laudes

Diuitiæ Hispaniæ

Cœli salubritas. Amnium cursus

Ab equorum pernicitate Hispania commendat

Hispaniæ dimensio

Diuisio Hispaniæ Tarraconensis & eius finis Beticæ

Lusitania

Iberia Hesperia

Hispania vniuersa appellata

Genis conditio.